

F I O N I A.

Falstria separata, frumenti & avellanarum nucleis adeo ferax, ut naves eis onustæ plures in provincias deferantur: oppida habet quinque, quæ sunt *Nistadt*, *Nasco*, *Togrop*, *Rotbus*, & *Marribus*: præterea arcès aliquot Regias, procerum ædes, parochias & pagos multos. *Falstria*, longa est quatuor milliaria Germanica, ac civitates habet *Stubecopen*, & *Nicopen*, quæ Daniæ Neapolis ob amœnitatem ac præstantiam dicitur. Ex hac Insula juxta Regis prædium, frequens in Germaniam trajectus, qui septem est milliarium ad *Varnemundam*. Plurimum frumenti annuo proventu vicinis locis suppeditat. *Arrafesquimillari* ab *Elyfia* distans, silvis convestita ac proinde gratos venatoribus præbet recessus, tres habet parochias & aliquot nobilium curias, cum oppido & arce *Koping*: cum *Elifia* ad ducatum *Slesvicensem* spectat, Ducique *Ioanni* paret. *Elifia* sive *Alsa* vulgò *Alsen*, mediocris magnitudinis Insula, nam quatuor milliaria in longitudinem, duo in latitudinem patens, non magno intervallo à Ducatu *Slesvicensi* separata, marinum recessum ac sinum *Flensburgensem*, *die Flensburgerwick*, respiciens, à primis Anglorum sedibus eodem sinu determinatur. Monet nos *Ranzovianum Musæum*, Romanos, insulares hosce *Elyfios* nuncupasse: quemadmodum & eos, qui proximam colunt Insulam *Arios*: quam hoc tempore appellationem retinent. *Ptolemæus* perhibet, *Anglos* antiquissimos esse terrarum *Septentrionis* ad Oceanum Incolas: quibus *Tacitus* conjungit *Elyfios*, *Arios* & *Monimos*: quorum jam quoque nomina, iis locis in usu sunt, *Alsen Arr*, *Moen*. Oppidum in *Alsen* sive *Elifia* est *Sunderburgum* & ejusdem nominis Castrum, cum aliis *Norborch*, *Osterholm*, *Die Holle*, *Gammelgard*, Parochias habet populosas decem & tres, ex quibus aliquot armatorum millia subito conscribi possunt. Salutosa est, quare cervorum & varii generis ferarum venationem præbet: quemadmodum & marinos, dulciumque aquarum pisces, atque siliginem; & quia passim compascua, rei pecua-

riæ fovendæ idonea. *Tasfinga* sive *Tofinga*, inter ^{Tofinga.} multas alias Insulas, prope oppidum *Fionia* *Svineburghum* præcipua, milliaria in longitudine habens, in qua præter aliquot parochias, curia est *Kettorp*, ad *Rosenkransios* & *Ranzovios* spectans. Ex hac Insula, ab oppido *Ascens*, in *Iutiam* duo sunt milliaria; ex *Niburgo* in *Zelandiam* quatuor milliarium per *Mare Balthicum* trajectus, admodum periculosus, præsertim mari procellis exagitato: nam cum *Orientalis pelagi unda*, ex tot fluminibus jugiter illabentibus aucta, inter tam multas Insulas exitum quærens, in modum torrentis velocissimo cursu protrudatur, facile contingit, ut ventis à diversa parte obluctantibus, fluctus in immensum attollatur, Nautæque undarum ambiguis vorticibus, periculose implicentur, unde multi in hoc trajectu absorpti feruntur. Anno 1170, *Episcopus Slesvicensis*, in trajectu hujus Freti cū magno suorum familiarium numero periit, qui longo tempore post repertus, in *Monasterio Furensi* in *Zelandia* sepultus est. Anno 1513 *Serenissimus Daniæ Rex Ioannes*, vix mensem ante obitum, profecturus in *Iutiam*, incolis judicendi & controversias dirimendi causa, cum *Balthicum Mare* trajiceret, tempestate subita exorta, cum Regia navis, varie luctantibus inter se ventis atque fluctibus, quateretur, in tanto fuit discrimine, ut cum ad oppidum *Niburgum* appulisset, ascendissetque de navi in pontem, conversus ad mare, veluti mortem suam præfagiens, dixerit: *Vale Balthicum, vale*, eam in nos hodie sævitiam exercuisti, ut per te transitum nobis patere posthac te nolle ostenderis. Ac tametsi omnes naves commodissime, inter *Scaniam* *Zelandiam*que per fretum *den Sund*, navigare soleant, tamen frequenter accidit, ut navigia minora, quibus minus periculi est, ab Insulis ac locis vadosis, ex *Holsatia*, *Lubeca*, aliisque vicinis Regionibus solventes, per hoc *Balthicum Mare* navigationes suas instituant; ita tamen, ut in oppido *Niburgo* consueta vestigalia solvere cogantur.